



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

IX. De Perfectione visionis beatificæ, ac de Ineffabilitate Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**

## CAPUT IX.

*De Perfectione visionis beatifica, ac de ineffabilitate Dei.*

**R**ESOLUTIO I. *Inter visiones beatorum nulla est inaequalitas specifica, non tamen omnes beati sunt aequales in perfectione beatitudinis essentialis.* ] PRIMA PARS PROBATUR contra Majorem, tum quia gloria respondet gratiae, at haec est ejusdem speciei, in omnibus beatis, ergo & illa: tum quia tunc actus sunt ejusdem speciei, quando concurrunt principia ejusdem speciei, idemque modus tendendi in objectum primum, quod hic contingit; cum omnes beati eleventur ad visionem beatificam per lumen ejusdem rationis, tendantque ad videndum Deum clarè ut in se est, tum denique quia quantumvis visio aliqua creata perfecta sit, potest alia longè inferior ad eum intendi, ut ad ejus, perfectionem pertingat; quod tamen fieri non posset, si distinguerentur specie.

Unde intelligis non tantum visiones hominum beatorum esse ejusdem speciei inter se, sed etiam collatas cum visionibus Angelorum. Siquidem non obstante differentia specifica, quae ex communiore sententia reperitur inter intellectum humanum & Angelicum, uterque per lumen gloriae, eodem modo elevarur ad videndum Deum ut in se est: & praeterea fieri potest ut homo aequè perfectè videat Deum ac Angelus, imò perfectius, ut constat de facto in Christo, atque etiam in beata Virgine, quae exaltata est super choros Angelorum ad caelestia regna.

\* *Dices, quod visiones beatificae ferantur in Deum, ut in se est, id non sufficit, ut omnes sint ejusdem speciei, quia alias sequeretur, ipsam visionem increatam, quam Deus seipsum, ut in se est, contemplatur, esse ejusdem speciei cum nostra. Respondeo negando id sequi, quia visiones beatorum tendunt ad videndum Deum, ut in se est, modo essentialiter finito, & non comprehensivo: at Deus seipsum videt,*

modo essentialiter infinito, & comprehensivo, qui duo modi plusquam specie differunt.

*Secunda pars* certa est ex fide & probatur 1. Ex verbis illis *Ioan. 14.* In domo Patris mei mansiones multæ sunt, quæ communiter à Patribus intelliguntur de inæquali participatione gloriæ, ut & illa *1. Corinth. 13.* Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. 2. Ex Concil. Florentino in litteris unionis ubi id definitum fuit. 3. Ratione, nã in sanctis sunt merita valde inæqualia, ut perspicuum est, ergo & gloria inæqualis juxta illud *Apost. 1. Corinth. 13.* unusquisque mercedem propriam accipiet secundum suum laborem.

\* *Dices 1.* Cum Joviniano, omnibus etsi inæqualiter in vinea laborantibus, redditam esse. *Matth. 20. 2.* qualem mercedem, nempe singulis unum denarium, per quem intelligitur beatitudo. *Respondeo* ex *S. Thoma 1. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1.* per denarium intelligi beatitudinem objectivam, quæ una est omnium; non formalem, in qua inæqualitas contingit.

\* *Dices 2.* Beatitudo est summum bonum cuiusque beati; at non potest aliquid esse majus summo bono ergo repugnat quòd unus sit beator alio. *Respondeo*, beatitudinem formalem non tam esse summum bonum, quàm participationem summi boni; qua non repugnat aliquid dari majus, vel intensius.

**RESOLUTIO II.** *Visio beatifica omnino commensuratur cum lumine gloriæ, ita ut duo habentes æquale lumen æqualiter Deum videant, etsi quoad intellectum sint inæquales.* ] **PROBATUR 1.** A posteriori, quia si visio Dei non commensuraretur cum solo lumine gloriæ, sequeretur eam non tribui juxta proportionem meritorum, quod fidei repugnat: sequela ostenditur, quia si duo quoad intellectum inæquales habeant merita æqualia, uterque recipiet æquale lumen: unde si cum æquali lumine potest intellectus perfectior melius Deum videre, qui perfectiorem habet intellectum erit beator, etsi non habeat majus lumen, aut majora merita.

P R O.

PROBATUR 2. A priori, nam intellectus creatus quantumvis perfectus, nihil ex se potest ad visionem beatificam sine lumine gloriæ: quare quod magis aut minus Deum videat, hoc non potest oriri nisi ex majori vel minori lumine gloriæ: sequela patet, quia ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, ut inquit Philosophi. *Confirmatur*, nam tota visio Dei est supernaturalis, quod falsum esset, si pars tantum illius aliqua responderet lumini gloriæ, alia verò perfectioni naturali ipsius intellectus.

\* *Nota 1.* Quantitatem actionis sumi à quantitate causæ totalis & completæ, quando utraque causa ex se aliquid potest ad effectum; non autem si una nihil possit, nisi quatenus elevatur ab alia. Unde cum intellectus creatus nullo modo possit Deum videre, sine lumine gloriæ, sequitur quantitatem, seu perfectionem visionis beatificæ non esse desumendam, à nobiliori intellectu, sed à majori lumine.

\* *Nota 2.* Non mirum esse quòd visus acutior melius videat colorem, cum æquali lumine, siquidem lumen corporeum non se tenet ex parte potentiæ, sed ex parte objecti. At vero lumen gloriæ se tenet ex parte potentiæ, eamque elevat ad actum superantem vim ejus naturalem: quare nequit illa agere, nisi juxta proportionem talis elevationis.

RESOLUTIO III. *Etsi Deus aliquatenus à beatis comprehendatur, proprie tamen est incomprehensibilis.* ] PRIMA PARS PROBATUR, nam comprehendere latè spectatum opponitur insecutioni; ita ut qui jam attingit aliquid quod antea insequabatur, dicatur illud comprehendere: at beati mente tenent Deum, quem in via insequuti sunt: ergo eo sensu eum comprehendunt, unde & vulgò comprehensores dicuntur.

*Item juxta August. epist. 112.* illud comprehenditur quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem: at nihil Dei latet beatos, cum videant omnes illius per-

fectiones intrinsecas, sive absolutas, sive respectivas: ergo eatenus Deum comprehendunt.

\* *Secunda pars suadetur* tum ex Script. quæ docet *Jerem. 32.* Deum esse incomprehensibilem cogitatu, quod intellige passivè seu respectu cogitationis in alio existentis, Deus enim non sibi est incomprehensibilis: tum ex capite *si firmiter*, ubi idem statuitur: tum ratione S. Thomæ *1. p. q. 12. art. 7.* quæ hoc modo proponi potest. Tunc res aliqua propriè ab intellectu dicitur comprehendi, quando tam perfectè cognoscitur, quantum ex parte sua cognoscibilis est, licet adhuc per cognitionem ex se perfectiorem cognosci possit: sic enim intellectus ita intimè eam pervadit & penetrat, ut sit adæquatio inter cognitionem & objectum cognoscibile, secundum totam cognoscibilitatem quam habet: quod proinde omni ex parte veluti concluditur & comprehenditur: unde qui novit propositionem demonstrabilem, per medium tantum probabile, illam propriè non comprehendit, ut monet S. Doctor *supra ad 2.* quia licet cognoscat quidquid est in illa propositione; nimirum subjectum, prædicatum, & copulam, non tamen eam cognoscit eo modo perfectissimo, quo ipsa petit cognosci ex natura sua; videlicet per medium demonstrativum. Atqui nullus intellectus creatus potest Deum, tam perfectè cognoscere quantum ex se cognoscibilis est; quia res quælibet ita se habet ad cognoscibilitatem, seu intelligibilitatem, sicut ad entitatem: Deus autem habet entitatem essentialiter infinitam ex supradictis, ergo & infinitam intelligibilitatem, cui proinde nulla vis intelligendi creata, ut pote essentialiter finita, æquari potest.

RESOLUTIO IV. *Et si Deus pleraque nomina propria habeat, propriè tamen est ineffabilis, & innominabilis respectu nostri, quatenus nullum nomen possumus illi imponere quod ipsius quidditatem perfectè representet.*

PRIOR PARS OSTENDITUR, nam quædam perfectiones, nempe simpliciter simplices sunt in Deo propriè;

proprie; ergo & nomina tales perfectiones significantia ei proprie competunt, quod intellige rem ipsam spectando per nomina significatam, non autem modum significandi, qui varias imperfectio nes involvit, ut postea dicemus.

*Intellige etiam Deum habere nomina propria, quatenus proprium opponitur non tantum metaphorico, sed etiam communi: ita ut quaedam sint nomina ipsi soli competentia, qualia sunt nomina Deus, Qui est, Jehova, de quorum significatione agit S. Thomas 1. p. q. 13. variis articulis.*

\* *Hic solum nota, ex art. 11. nomen, Qui est, triplici de causa esse maxime proprium nomen Dei. 1. Propter ejus significationem, unumquodque enim denominatur a sua forma; at nomen, Qui est, significat ipsum esse, quod soli Deo convenit per essentiam; 2. Propter ejus universalitatem, nullum enim essendi modum determinat, sicut alia nomina, sed generatim omnes complectitur, & significat ipsum pelagus infinitum divinae substantiae. 3. Propter ejus significationem, significat enim, esse in praesenti, quod maxime proprie de Deo dicitur; quia ejus esse non novit praeteritum, vel futurum, ut docet Augustinus 5. Trinit. 2.*

*Posterior pars probatur 1. ex Script. Nam Paulus ad Eph. 1. ait: Deum esse super omne nomen quod nominatur, sive in hoc saeculo, sive in futuro. Item ex Patribus qui uno ore ineffabilitatem Dei inculcant, passimque celebrant dictum illud Platonis, Deum intelligere difficile est, loqui autem impossibile: unde in Concil. Later. sub Innoc. III. statutum est Deum esse ineffabilem, ut refertur in cap. firmiter.*

*Tandem accedit ratio, quia cum res nominemus prout illas concipimus, nequeamus autem Deum in hac vita concipere, ut in se est, sequitur non posse a nobis excogitari aliquod nomen, quod illius quidditatem & essentiam, prout in se est exprimat, ut concludit S. Thomas ejusdem quest. art. 2. eo vel maxime*

quòd nullum nomen Deo à nobis imponi potest; quod non includat imperfectionem aliquam in modo significandi: nam verbi causa, nomen, Deus, significat per modum compositi substantialis ex natura & supposito: nomen bonus, sapiens, justus, &c. per modum compositi ex subiecto, & accidenti; nomen verò bonitas, sapientia, justitia, per modum entis incompleti.

## CAPUT X.

*De Scientia Dei illiusque objecto.*

**R**ESOLUTIO I. *In Deo ponenda est vera aliqua scientia qua sit per modum actus secundi eaque unica seu simplicissima.* AC I. QUOD in Deo sit vera aliqua scientia, certum est ex fide, ut satis patet ex Scripturis, *Hester. 14. Domine qui habes omnem scientiam. Roman. 11. O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei: aliisque locis. Ratio* autem est quia cum Deus sit ens perfectissimum, in perfectissimo gradu entis constitui debet, nempe in gradu substantiae, & vitae intellectualis. *Confirmatur*, nam cognitio intellectualis, est quaedam perfectio simpliciter simplex, imò inter rerum perfectiones potissima, cum per illam cognoscens fiat quodammodo omnia: ergo non potest denegari Deo entium perfectissimo.

*Secundò quòd scientia divina sit per modum actus secundi, facile probatur, quia si esset per modum actus primi, esset potentia elicitiva actus secundi, illiusque receptiva, quod repugnat puritati, & simplicitati divinae.*

*Neque dicas actum secundum dicere ordinem ad primum; hoc enim verum est de actu secundo qui se habet per modum actionis elicitaë, & receptaë; at intellectio divina non ita se habet à parte rei, sed per modum per se subsistentis, & identificataë cum substantia divina; quamquam juxta conceptum nostrum, intellectio distinguatur in Deo ab intellectu, & hic à substantia, ut patet ex aliis dictis.* *Tertio*